



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Lenones dicuntur personæ infames & detestabiles ratione peccati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

L Atrociniū) quo obfessor viarum ſiue publicè, ſiue occultè per vim aufert res à tranſeuntibus) ſpecies eſt rapinæ & manifeſte peccatum mortale: à quo denominantur latrones.

Lenones dicuntur perſonæ infames & deteſtabiles ratione peccati.

L Enocinium (quo perſona mediat, fouet, allicit ad venerea aliena) peccatum eſt mortale, tanto grauius, quanto reatum in ſe habet omnium criminum quæ inde ſequuntur. Hinc enim lenones & lenæ perſonæ infames ſatis notæ denominantur.

L Ex iniuſta peccatum eſt maximum criminis nec meretur vocari lex, ſtatutum, aut &c. ſed corruptio legis. Conſurgit autem iniquitas legis ex quatuor. Primò, ex materia: vt quum mandatur fieri aliquid quod eſt peccatum & præcipuè mortale: vt ſunt leges de ſacrificando idolis, de fallendo proximum.

Secundò, ex forma: vt ſunt leges grauantes inæqualiter ſubditos inæqualitate proportionis, quæ conſtituit iniuſtitiam diſtributiua. Vt quum ſit editum de colligendis decem millibus ducatorum à populo, ita quòd tales ſoluant centum, & tales viginti &c. quum tamen ſecundum proportionalem iuſtitiam econuerſo fortè fieri deberet: ſed quia attenditur ad fauores vel ad amicitiam, ideò ſic iniquè diſtribuitur onus. Et ſic de ſimilibus. Tertio ex authore legis, quia ſcilicet non habet poteſtatem ſtatuendi, vel non habet poteſtatem ſuper illos, vtpote exemptos, aut ſuper illam rem, ſeu illud opus. Quarto, ex fine: quia non ordinatur in veritate ad commune boni, ſed ad proprium commodum principis, & quocunq; horum modorum lex ſeu mandatum iniuſtitiam habet, non ſolum eſt iniqua: ſed non obligat ſubditos

ad

Literas alien. aper. 393

ad sui obseruantiam. Ad secundum modum spectat omnes gabellæ iniquæ ex forma : vt videntur omnes gabellæ de iis quæ deferuntur pro proprio vsu, quæ etiã ex ciuili iure sunt prohibitæ. Ad quartum autem omnes iniquæ ex non durante amplius sine: vt si gabella fuit posita ad faciendum muros ciuitatis. perfectis muris iniusta est, si perseverat exactio.

Grauisimum peccatum committitur in libelli famosi emissione.

Libellus famosus (quo quis proximum infamar exponendo iniuriosam alicui schedulam vt inueniatur, legatur &c.) ad detractionis crimen spectat, si authoris nomen occultatur. Si verò seipsum nominat, ad contumeliæ nequitiam pertinet, & propterea semper est scelus magnum.

Aperiens literas alienas, inuito Domino, peccat.

Literas alienas sigillatas aperire inuito domino peccatum est iniustitiæ & curiositatis. Interuenit siquidem in hoc opere iniustitia, quoniam sic iniuria custodienti literas sub sigillo ideo enim apponitur sigillum, vt custodiat scriptura interior per sigillum: Et quia custodiat duobus, scilicet mittenti, & ad quem mittitur (mittens siquidem, custodiam sigilli apposuit, vt sic custodia litera perueniat ad eum ad quem mittit) ideo appellatione domini in proposito venit vterque. Et propterea nisi alter eorum consentiat, aperitur sigillum, inuito domino. Et vtrique fit iniuria: quia ius aperiendi quod vtrique solè conuenit, nõ solum vsurpatur sed tollitur: non enim restat quod aperiatur postquam apertum est. Curiositas quoque inuenitur in hoc actu: quia ad hoc aperiuntur literæ vt legantur, vt sciat legens id quod

sciat